





**VINDICIÆ  
JURIS REGII**

i. Sam. VIII.

**EXPOSITI,**

*Quas*

**IN ALMA ERNESTINA**

*Auspice Numinis Divino*

**PRÆSIDE**

**FRIDERICO ULRICO PESTEL,**

J. U. D. Ejusdemque & Moralium Prof. Ordin.

**IN AUDITORIO MAJORI**

Die 17. Martii 1725.

*Placido Eruditorum examini submittit*

**AUCTOR & RESPONDENS**

**HENRICUS GUILIELMUS KRIGER,**

Barrentruppia-Lippiacus.



**RINTELII,**

**TYPOGRAPHIA JOHANNIS GODOFREDI ENAX,**

Acad. Typogr.



VIRO  
PERILLUSTRI AC EXCELLENTISSIMO  
**CHRISTOPHORO**  
**a PIDERIT**

S. R. I. EQUITI  
CELSISSIMI COMITIS REGENTIS LIPPIACI PRÆSIDI  
CONSILII SANCTIORIS ET REGIMINIS  
GRAVISSIMO  
MECÆNATI OMNI OBSER-  
VANTIA COLENDO.



§. I.



Uemadmodum *Grotius*  
merito vituperat illud juris consul-  
torum genus, quod controversias  
eorum, qui in gentem nondum coie-  
runt, & qui inter se diversarum sunt gentium, tum  
privati, tum Reges ipsi, quique par jus Regibus obti-  
nent, sive illi optimates sint, sive populi liberi; arctis  
legum Romanarum, Canonumque cancellis inclu-  
dit, quicquid est sacri, quicquid divini juris, a lubi-  
tu & arbitrio ipsorum imperantium suspendit, atque ita faciem juris universalis deploratam relin-  
quit: ita ne & nos in eosdem incidamus scopulos,  
lubet in definiendo ambitu majestatis a *Samuele* ad  
umbratae, ejusdemque effectuum genuinorum, non  
tam ad juris positivi salebras & dumeta provocare,  
quam ad fontem potius ipsius gentium justitiæ o-  
mnia referre; atque ita confidimus, inoffenso pede  
nos progreedi posse in demonstrandis, ac ab iniqui-

A tate

Ingressus,  
ostendens  
fontem  
assertionū  
nostrarum  
fore ipsum  
jus naturæ.

rate liberandis vicariorum Dei juribus, ac præeminentiis, ibidem expositis, misis illis, quæ ad terminorum ubivis obviorum evolutionem, clarioremque lucem potuissent inspergi.

§. II.

*Concepimus  
juriis nat.  
formatur,  
similique  
rationibus  
evincitur,  
eius prin-  
cipium in  
felicitate  
generis hu-  
mani non  
esse sumum.*

Quocirca intelligimus per jus naturæ, tale ali-  
quod jus, quod summum Numen ipso facto creatio-  
nis omnium mortalium cordibus eum in finem in-  
dedit, ut secundum illud actiones suas instituant,  
diriganque. In qua definitione ideo dictamen  
rectæ rationis fundamenti loco ponere negleximus,  
quia in tempore sumus recordati, intellectum hu-  
manum jus naturæ non constituere, sed, quod est,  
adprehendere, nec regulam juri dare, sed a jure acci-  
pere; ideoque esse opus sublimiore principio, ex  
cujus visceribus eruere ac elicere possimus ea con-  
fectaria, quæ præcisam obligationem parendique  
gloriam involvunt. Tale autem tenemus persua-  
sum, nec incomprehensibile nec inexplicabile qui-  
dem esse, verum tamen perquam difficile investi-  
gatu, adeoque per pulchrum scitu, a hoc præcipue  
sibi vindicare requisitum, ut non unum, sed omnia  
placita, tanquam rivuli ex fonte inde derivari, de-  
nique non quæ arbitraria, sed quæ necessaria, non  
quæ tantum licita, ac permissa, sed & quæ præcepta,  
inde propullulare queant. Quæ cum ita sint, non  
diu immorabitur refellendæ opinioni eorum, qui  
appetitum felicitatis, generi humano congenitum,  
pro uno, universali, ac adæquato principio vendi-  
tant. Cum, sin pace eorum, quorum illustria me-  
rita

rita alioquin veneramur, & eo quo par est cultu prosequimur, verum fateri fas sit, proprius accedant ad *Carneadis*, utilitatem cum justitia commiscentis, opinionem, atque appetitum insitum, fruendique cupidinem, cum præcepto, permissionem & quod homini proficuum, gratum, jucundum est, cum illo, quod adeo præcise fieri debet, ut alium vitæ modum servando, quis non possit non Nemesin divinam incurrire, gravibusque sese obnoxium reddere pœnis, confundunt, & ita efficiunt, ut idem simus Legislatores, a quibus lex lata est, & in quos, in quorum voluntate lex est, & qui ejus vinculo sunt adstricti, uti in simili adversus *Grotium* commentatur *Coccej*.  
in prodromo J. Gent. p. 15.

§. III.

Ex dictis liquet, jam jam allatum principium, neque ad essendi, neque ad cognoscendi juris naturæ placita posse referri fundamentum; quoad pleraque vero principia subinde ab aliis excogitata, dudum est a viris prudentibus, & harum rerum probe gnaris observatum, verbis illa saltem ab ludere, a *Grotiana societatis humanæ custodia*, humano intellectui conveniente, re ipsa vero cum eadem conspirare. Binis itaque verbis dixisse sufficiat, deficere in illis videri, quod in omni jure tamen palmarium est, obligationem nempe & certitudinem. Illud saltem præponimus, antecedenter ante Dei voluntatem, nullum fuisse jus naturæ, neque consequenter hoc vel illud in vetitum ire debuisse, quantumvis ipse, nil nisi perfectum, ac quod proportioni ac commo-

A. 2

Scopuli due  
in quos  
multorum  
aliorum  
incidunt  
principias,  
levi bra-  
chie tan-  
guntur.

dula-

dulationi naturæ humanæ respondet, velle possit, secus ac despotæ incedere solent. Quænam vero sint Dei placita universo generi humano ipso creationis facto præscripta, non uno, sed multis potest ad liquidum perduci modis, exstantibus in *Coccejana* *positione 4ta.* Neque enim necesse est, ut quemadmodum vis effectrix ipsius juris universalis est una, ita & medium adsequendi in unum diffundatur ramum.

#### §. IV.

Cum vero Deus rebus terrenis visibili non interfit modo, easdemque suo moderetur arbitrio, indeque non potuerit non aliis delegasse suas vices, qui ad hæc jura regenda, & contra invitatos exequenda, omnem suam operam, studiumque converterent, magnis animi motibus quæsitus meminimus, utrum ejusmodi majestatis productio, sit ipsa Civitas, an immediate Deus? Cujus disceptationis usum practicum quantumvis situm esse in eo putent, ut posteriorem sententiam amplectentes, nec auctoritatem Regum in jus precarium, pendens a voluntate subditorum, facto suo cœtui se aggregantium, deforment, nec imperantium salutem in lubrico locent, cum e contrario secus sentientes facile in monstrafam & paradoxam opinionem queant incidere: omnis constituens dum est superior constituto, poterit populus, quem dignum judicavit, ut habenas regiminis capesseret, eundem ut indignum ulteriore imperio destituere: Verum re penitus inspecta, nondum adsequimur aliquid mali inesse alterutri ad-

*Adserni.  
tur ratio.  
nibus, parū  
quoad felicitatem  
civilem,  
vicum  
civitatum  
scopum, interessa, sive  
Deus dicatur causa  
immediata, sive media  
majestatis  
regia.*

adsero, & sic quorsum nos vertamus, quoad vinculum consociationis civilis perinde esse putamus. Id quippe pro certo adsumimus, illum, qui suum jus commutavit, & interposita pactione summam rerum in alium transtulit, ab eo quod semel placuit, resilire non posse, nisi velit legem naturæ, cui nihil tam congruum, quam ea, quæ semel placuere, servare, migrare, & summa imis confundere. Interim sive prima, quæ unquam extitit Respublica, a piis, vel ab impiis, sponte sua coeuntibus, vel majoris mali, ex insultibus latronum & bestiarum instantis, evitandi gratia compulsis, fuerit condita, ex vero omnem omnino majestatem definiri posse putamus, quod sit sacra, Deique vicaria potestas, tuendi jura subditorum. Hunc quippe scopum unice intenderunt prima Reipubl. fundamenta jacientes, ut omnibus singulisque publice ac privatim sit bene; Weil doch in Gleich und Recht jedes Reichs Grundveste und Glückseligkeit bestehtet/ ut verba emphatica pacis Pragensis de Anno 1635. § 76. faciamus hac occasione nostra, nullamque aliam inter tyrannum exercitio tales, & legitimum imperantem, nobis concipere possumus differentiam, quam quod ille evertat dissipetque jura subditis quæsita, hic vero eadem studiose conservet, perficiat & stabilit.

S. V.

Interest itaque ut dispiciamus, utrum talia facta tyrannica, & a summi imperii rationibus aliena, contineat 1 Sam. VIII, 11. seqq. ubi Samuel Dei jussu populum Israëliticum sequentibus alloquitur verbis:

Hoc

*Textus integrer subiectur, per versaque quorundam interpretatione additur*

" Hoc erit jus Regis, qui regnabit super vos: filios  
 " vestros accipiet, & ponet sibi in currum suum, ut  
 " sint equites ejus, & currant ante currum ejus, po-  
 " net eos quoque sibi in tribunos & quinquagena-  
 " rios, & qui arent agros suos, & metant messem  
 " suam, atque qui conficiant arma bellica & instru-  
 " menta currus ejus, filias deinde vestras tollet, ut  
 " sint unguentariæ, cupedinarie & pistrices, agros  
 " quoque vestros, vineta optima, tollet & tradet ser-  
 " vis suis, semina vestra & vineas vestras decuma-  
 " bit, dabitque eunuchis & servis suis, servos vestros  
 " & ancillas vestras, juvenes quoque vestros elegan-  
 " tes & asinos vestros accipiet, illisque sua opera  
 " conficiet: quin & gregem vestrum decumabit,  
 " eritisque ei servi, & clamabitis eo die propter  
 " Regem vestrum, quem elegeritis vobis, & Domi-  
 " nus non exaudiet vos illo die. De quo textu non  
 una est Interpretum juris naturæ sententia: *Grotius*  
*de J.B. & P. I.C. 4 §.3.* verum jus regium ibi exponi  
 negat, additque ibidem *Tesmarius* instar l. II. *de J. &*  
*J. 25. de statu hom. l. 55. de R.I. l. 3. pr. de agn. vel alend.*  
*l. 40. §. 2. de procurator. l. 20. 27. §. 2. de receptis. l. 28. de*  
*condict. indeb. l. 1. princ. quæ sent. sine app. rescind. se*  
*habere ea, quæ Regi inibi tribuuntur, adeoque effe-*  
*ctus juris quod ex inquis istis machinationibus ac*  
*moltionibus Regis, instar rei injuste judicatae, qui-*  
*dem sint exorituri, interim Rex ipse hoc modo affli-*  
*gendo, excruciendoq; suos subditos, quod inique ege-*  
*rit. Eadem sedet mens *Hertio de Collisione LL. p. 151.*

*Johanni Miltono in defensione reg. cap. 2do. Dion.*  
*Gotho-**

**7**  
*Gotfred. ad l.4. Cod. de LL. & ad Nov. 105. cap. 2.*  
Alii inflant tibias alias, tradendo, non nisi vaticinium  
redolere omnia ibidem exposita, Deumque prædi-  
xisse saltem, quid futurum sit, non vero quam bene  
vel male. *vid Dn. Thomas. colloq. germ. mens. Dec. 1688.*  
*p. 777. & Sidnei, scriptorem Anglicanum, dans le*  
*discours sur le gouvernement.*

**s. VI.**

Sed re penitus inspecta, quilibet extra partes  
positus, vacuusque ab adsentandi fœda libidine, im-  
minuendique præter fas regii imperii augusta jura,  
rei veritati id dabit, quantumvis deforet auctoritas  
*Cocceji in prodromo J.G. p. 158. Vitriarii in J.J.N. & G.*  
*pag. 44. Beyeri in Delin. J. divini p. 182.* aliorumque,  
nihil minus, quam tyrannica injustitiaque plena  
facta ibidem recenseri. Quod ut ad liquidum per-  
ducamus, quædam postulata præmittere, & postea  
omnia ibidem recensita jussa Regis ab iniuitate libe-  
rare studebimus, quo facto procul omnes, qui for-  
mari solent scrupuli, sponte elabentur, vanescentque  
in auras. Supponimus naturam nullam certam  
formam rerumpubl. definitivisse, sed mero benepla-  
cito partium ex segregi vita olim ducta in civilem  
consociationem coëuntium reliquise, vel in re u-  
num, plures, omnesq; de summa rerum participare,  
vel etiam misceri eandem inter plures. Sicut enim  
ab eorum pendebat arbitrio, mallentne instar pri-  
morum patrum fam. sua consociatione domestica  
acquiescere, pastoritiam vitam agere, & Nomadum  
more vagari, an vero cœtum perfectiorem civilem

postulatur,  
formas re-  
giminum  
esse arbi-  
trarias, &  
ita compa-  
ratas, ut  
ubivis  
morbi de-  
prehen-]  
dantur.

in-

ingredi: ita pactum illud secundum, quo copulantur unius, pluriumve, vel laxiore vel strictiore imperio, eodem ex arbitrio est profectum. Prout itaque partes invicem disponunt de fundamentis suæ felicitatis civilis, eandem solius Regis judicio permettendo, vel non, ita quoque jus inter hasce partes contrahentes est manetque. Facies non omnibus una, nec diversa tamen, qualem decet esse sororum, merito de Rebuspubl. prædicares, sicuti de singulis hominibus id ait Ovid. *Naso*. Prudentia id etiam exigit civilis, ut ad genium populi, aliquando regi quam regere magis adsueti, aliquando imperare rectius quam exsequi jussa parati, respiciamus in modo deferendi imperium, ejusdemque limitibus ponendis, unde videmus *Cappadoces*, quibus Romani teste Justino lib. 38. cap. 2. in f. obtulere libertatem, negasse se sine Rege posse vivere, variosque pertæsos sui popularis status, summam rerum detulisse uni, sub cuius umbra secure quiescerent. Neque est, quod quis objiciat, admodum insulsos debuisse appellari istos, qui nullis belli ultimæq; victoriæ malis coacti, ultro suam libertatem civilem desererent, & suam voluntatem ressolverent in voluntatem unius, sæpius instar *Tiberii*, *Claudii*, *Caligulae*, *Neronis*, *Diocletiani*, similiusque monstrorum imperantium, in sibi subiectos sævientis cives; tum reponerem, & ab altera parte quot imperfectiones & incommoda politica premant alium quenquam civilem statum? quot factiones, quot scissiones demagogorum, quot lanienæ, v.gr. *Wittiorum*, ibi prohibeant, quo minus

fco-

scopum sibi præfixum possint adsequi isti, quibus curæ cordique salus regionis. Vel hic itaque ex-clamandum, nihil ab omni parte beatum, sed boni civis requirit officium, præsenti facie Reipubl. esse contentum, nihilque temere innovare. Pugnet itaque pro monarchia Hobbesius de cive c. X. pro aristocratia Huber, de J. civit sec. 7. c. I. pro democratia Dn. Thomas, in notis ad Monzamb. c. I. §. 2. lit. f. Nos ne quidem in animum possumus inducere nostrum, libertatem, & regium imperium sibi opponi, & quidquoad effectum interesse, sive uni, sive pluribus, boni communis cura & custodia sit commissa, adeoque subiecto majestatis existentiae mutato, quid simul delibari de libertate civili, sed si quis occasio nem suo imperio abutendi venari gestit, nunquam defuturas latebras, firmiter tenemus persuasum.

## S. VII.

Porro præmittimus, Judæos quidem aversando Theocratiam, & non tam Samuelis, quam ipsius Numinis benignissimi imperium summum respuendo, graviter peccasse in Deum, ideoque justo ejus judicio ob hoc, aliaque scelera, quibus unusquisque populus, & quilibet mortalium sese singulis momentis polluunt coram eodem, subjici potuisse pœnæ condignæ, neque ullam de injuria sibi illata querendi causam habuisse, volente ita Deo ulcisci perduellionem effrenem, in suam Majest. involando commissam. Sed nihil tale contigisse, adeoque a posse ad esse non valere consequentiam, sine hæsitatione ideo pronuntiamus, quia Deus eorum petitioni adsur-

B

gebat,

*Ex genera-  
libus bona  
interpreta-  
tionis re-  
gulis colla-  
gitur, non-  
nisi regium  
imperium  
a Samuele  
depingit.*

gebatur, & se ipsum immediate Regem per sortem daturum pollicebatur, simulque ne quid ipsos lateret, quod ad exercitium jurium istorum, quæ regium imperium comitarentur, attinet, eadem publicari & denuntiari jubebat. Quî itaque ex textu cogi posset? cum populus voluerit Regem, qui more gentium vicinarum, posset tempore belli educere exercitum adversus hostem, tempore pacis autem per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellere valeret; & Deus etiam pro inusitata sua, erga populum durum & asperum clementia, delegaverit fasces imperii alicui, hanc vicariam Numinis, sacro sanctamque potestatem, habuisse quid tyrannici admixtum, adeoque non tam ad tuitionem, quam eversionem status publici ac privati fuisse enatam. Sane si omnis explicatio textus ita fieri debet, ut absurdum vitetur, si etiam conjuncta origine & loco, bonæ interpretationi faciunt locum, vel hic ad intelligendum facile est, jura ista regalia, quæ ibidem recensentur, ossibusque ac medullis uniuscujusque Regis, ανπενθυνοι aliquod imperium habentis, cohærent, neutquam potuisse referri inter Regis legitimi operationes. Hoc quippe contradictionem in terminis involvere videtur, officii limites ipso exercitio alicujus actus quem egredi, & tamen legitimam facultatem moralem ejus definiri.

### §. VIII.

Ut itaque liqueat, statum partim ordinarium partim extraordinarium reipublicæ ibidem supponi, atque ita quod indefinite ac illimitate tribuitur Regi,

*Jus sequela, dele-  
Etiam, si-  
miliaque  
belli jura  
nihil conti-  
nere injustis  
estenditur  
sigillatis.*

Regi, ac quasi per hyperboleni, esse cum temperamento, prudenter, ac cum grano salis intelligendum, atque hoc modo duram quidem hanc legem ejusdemque effectus diros visuros tali genti, quæ ranta incommoda olim nondum erat experta, ceteroquin vero sic satis esse justam & æquam: adgredimur, methodo arbitraria, ipsa ibi extantia consecataria majestatis Regi collata, quorum primum subditos cogere ad servitia militaria, tantum abest, ut nobis videatur iniquitatem sapere, ut potius in confessio sit apud omnes, summum imperantem posita necessitate reipublicæ, qua ab hoste superbo & potente opprimebatur, adeo ut nulla nisi in armis spes elutandi sit posita, posse bellum gerere & ablata vel auferenda, per vim certando, recuperare. Ipsi Israëlitæ id prævidentes ideo adeo enixe sibi expterierant Regem, ut ejus sub signis militatum abire, debellareque invasores possent. Qui itaque injustum foret, *jus sequelæ*, die Reiß-die Landes-oder Heers-Folge/ die hohe Folge/ die Wolffsngds-Folge/ exercere, subditosque, judæos, christianos, fideles, infideles, armare adversus felicitatis communis eversorem? Qui nefas censerentur delectus eo nomine sine vacatione habit? Qui ceterajura armandiæ, ut vocant, hospitationum, lustrationum, metatorum, possent vituperari? Imo quotquot in hisce turbis satius esse existimant quiescere, quam configere, domi compressis sedere manibus, quam castra sequi, vinculum consociationis civilis dissolvunt, munimentum rescindunt.

## §. IX.

*Objellio  
diluitur,  
quod forte  
temere ac  
rumide  
Princeps  
bellum in-  
dixerit, a-  
deoque sub-  
diti non ne-  
cessitate habe-  
ant sequi;  
sin animis  
eorum non  
sit satis bac-  
de refa-  
ctum,*

Equidem lubens volensque fateor ex ipso Hobbesio contra Hobbesium posse demonstrari, magis ad pacem colendam, quam ad bellum hominem esse natum, siquidem studium societatis humanæ, humano intellectui conveniens, quisque in se ipsum descendens facile animadvertisit, in bello autem non nisi summam dissociationem esse, edocent ipsum tot vastationum, deprædationum, captivitatum, ac lanienarum exempla, ut ejusdem propria quarti modi. Inde tamen non confit injusta pati subditos ad militiam subeundam a Rege bellatore coactos. Ex pactione enim semel cum Rege inita, moderatio ac tutela communis, in ejus est arbitrium collata, quicquid itaque ad securitatem ac sufficientiam publicam obtainendam, singulis suæ civitatis membris imperat ac præscribit idem illud caput, non poterit non ex omnium voto ac consensu ab initio suscepit imperii declarato, bonum & æquum esse. Sane argumentum a minori ad majus struere sin necesse foret, vel hic quam maxime procederet illud, quod ex procuratoris cum libera est petitum facto, huic enim quum ipse mittens forte mandatum arcam diversum a priori generali præscripserit, ibique arctos satis negotiandi cancellos definiverit, tamen hosce quantumvis egressus esset legatus, negotium ex generali voluntate in manifesta lege præpositonis declarata, subsisteret ac perduraret. Quidni itaque & populus belli ac pacis arbitrium Regis imperio illimitato permittendo, foret pacto & providentia

dentia vel sua vel majorum obstrictus ad obsequium?  
 Vel ipsa ars artium, quæ in dexteritate, prudentia, ac  
 solertia publicæ privatæque rei prospiciendi, con-  
 sistit, non sinet, ut postulet arcana status sibi detegi,  
 quo ex illis sibi fiat palam, utrum diu satis secum ex-  
 penderit Rex, an cedere vel contendere præstiterit,  
 quiescere in turbis, an vigilare pro patria, certando.

## §. X.

Quæ cum ita sint, tantum abest peccatum ad-  
 versus officium imperantis esse, exigendo a subditis  
 jus sequelæ, ut potius hi nondum videantur satis  
 functi suis muniis, obtrudendo loco servitorum  
 bellicorum pecuniam, seu uti in jure feudali appella-  
 tur, *adobam, Herrscher/Reisegeld/Fahrtlösung*. Ubi  
 enim persona est ad quid faciendum obstricta, ibi  
 aliud pro alio invito eo, cui obligatio hæc quæsita,  
 non poterit substitui, sed uti hæc contracta, ita & di-  
 strahi debet, nisi ipse, qui τὸν ὄφελον habet in Republica,  
 satius esse censuerit, militem mercenarium, utpote  
 magis bellis adsuetum & exercitatum conducere  
 statuto stipendio, atque ita sponte sua liberaverit  
 suos subditos a vinculo, artoque nexu in persona  
 militandi. Frustra etiam sunt, qui hic distinctione  
 opus esse censem, inter bellum intra fines territorii  
 gestum, & ulterius protensum, priusq; non ultimum,  
 postulare, ut subditi conjunctis viribus ac consocia-  
 tis armis hostem repellant, ac regionem ab ejus in-  
 sultibus reddant fartam ac teatam. Belli etenim  
 alea quamdiu jacta est, illudque, vel ultima victoria,  
 vel pacificatione secuta, nondum est compositum,

tam-

*Personale  
 servitium  
 esse a sub-  
 ditis quoad  
 operas bel-  
 licas præ-  
 standum  
 evincitur,  
 nec argen-  
 tum in ejus  
 locum suc-  
 cedere, Re-  
 ge in vito.*

tamdiu securitas possessionis nulla est quæsita, sed idem ille hostis redintegratis viribus auctisque copiis laceſſere denuo, vastareque regiones potest, & ſolet. Quis itaque auctor foret Principi, ut pri-  
mum iustum, bellique effectus denuo exſpectaret, &  
non potius in hostile territorium viētricia arma-  
inferret, ſicque utendo ac fruendo victoria, ad pacis  
æquas conditiones cogeret hostem. Quo nomine  
videbatur Dux *Henricus Leo* quam maxime aduersus  
leges imperii, deferendo Imperatorem *Fridericum I.*  
peccaffe, atque in reatu fuisse, licet non defint, qui  
eum excusent. Non minus & illi abludunt a ſcopo,  
qui qualitatem singularem personæ attendunt, &  
originarium civem ad hoc onus adstringunt, adven-  
titium vero immunem eſſe cendent. Quæ enim  
diverſitas inde poſſit enaſci jurium, ſi uterque in-  
clafſem ſubditorum eſt referendus, & non minus  
tunus quam alter ſummi Imperantis præſtolatur jure  
meritoque tuitionem, ejusdem exoſculari debe-  
juſſa, atque ingruente vi hostile, bellicis calamitati-  
bus eſt obnoxius? Territorialis potestas eſt fun-  
data in omnes ibi deprehensos, nullumque haſtenus  
datur exemptionis privilegium, urgente ſumma bel-  
licarum calamitatum neceſſitate.

### §. XI.

Quare jure tanto in personas ſubditorum quæ-  
ſito ſummo Imperanti, ut in præſens mortis pericu-  
lum volentes ducere, nolentes trahere poſſit, atque  
iſti, qui ita pro patria ſunt mortui, dum in aeternum  
per gloriam vivere intelliguntur, tanto facilius  
æquus

Eviden-  
tibus ratio-  
nibus na-  
ture ad li-  
quidum  
perduc-  
tur, impe-

æquus rerum censor æstimabit, nihil iniqui inesse  
facto Regis, urgente necessitate & utilitate publica  
subditos rebus sacris, profanis, mobilibus, immobi-  
libus, magni, parvi momenti, spoliantis, easdemque  
in usus publicos vertentis. Ut ut enim prima fronte  
hoc magnum exemplum aliquid ex iniquo trahere  
videatur, tamen publica utilitate & compensatur, &  
non nisi ad speciem malum involvit, re penitus vero  
inspecta, degenerat in bonum, si non individuale,  
tamen communionis, cuius salus suprema lex esse  
debebat cuivis, censuram Taciti: *privata cuique stimulatio, vile decus publicum;* evitatuero. Quod e-  
niam necessitate exigente constitutum est, adeoque  
alia via expediri non potest, transit & succedit in J. N.  
præsentis status, facitque ut facinus inde susceptum,  
pium in Deum, & justum erga homines sit, esseque  
debeat. Et sane nisi hoc argumentum a fine ad me-  
dia necessaria, firmo staret talo, omnes eidem innixa  
conclusiones, quoad legatorum sanctimoniam, &  
inviolabilitatem; quoad necessitatem educandi,  
& ad maturitatem perducendi suam progeniem; ;  
quoad transiit innoxium nulli denegandum; ;  
quoad moderamen inculpatæ tutelæ; simul vane-  
scerent in auras, & corruerent. Quæ vero cum  
perplaceant pluribus, quare magis improbum foret  
factum Regis dicendum? si destrueret tempore belli  
fanum Scti Quintini cum Philippo II. Rege Hispania; ;  
vasa sacra aurea & argentea cum Hiskia, hosti, ne fa-  
cessat amplius negotium, offerret; panibus propositionis  
vesceretur cum Davide, bonaque ecclesiastica

in

*rsum in res  
sacras &  
profanas  
subdito-  
rum adeo  
esse colla-  
tum, ut il-  
las in secu-  
lum versas  
non minus  
alienare,  
ac basce  
posit, ne-  
cessitate ac  
publica u-  
tilitate id  
exigente.*

in saeculum cum pacis Westphalicæ, palladii imperii, conditoribus verteret? potius tantum abest, hic quid injusti commissum a summo imperante, ut *B. a Cocceji* nullam gehenna putet digniorem vocem, quam cum *Innocentio X.* Papa Romano, cuius bullam ideo ex professo examinavit *Conringius*, contendere, quod pax Osnabrugensis isto sub colore non obliget. Quocirca ex recentioribus capitulationibus omnes ejusmodi protestationes Roma emissæ, jure meritoque irritæ atque inefficaces pronuntiantur.

### §. XII.

*Demonstratur ex potestate Principis circa vineas bonaque alia ciu- um, non ex- surgere do- minium eminens, contrari- amque sen- tentiam quid mon- stri alere subjicitur.*

Absit autem aliquem ex dictis cogere, quasi principi hoc ipso dominium eminens adscribamus, subditis vero merum usumfructum cum *Hobbes. de Cive l.6. §.15.* torque aliis, ut quænam ex tanto, vel illud adserentium vel denegantium numero, sit receptior, jam tum difficile fuerit *Vasquio I. controv. illust. cap.5.n.15.* definire, relinquamus. Neutquam talem monstruosam rem publicam volumus alere, vel ex naturæ rationibus defendere. Quid enim magis *άλογίσως*, & inconcinnius excogitari posset, quam tam male sculpta effigies civitatis & regni? ubi cives nihil proprii haberent, sed omnia adeo a Regis dependent nutu, & disponendi libidine, ut tanquam liberrimus moderator ac arbiter omnium possessionum, easdem servare, vel destruere, in suam privatam, vel publicam rem transferre posset. Confundetur hoc ipso magna familia, cum regno, domus cum civitate, paterfamilias cum summo Impe-

Imperante, famulitium cum nexu civili, & chimæra regni patrimonialis, prius in cerebro *Grotii* enati, & a *Coccejo in Antonomia Jur. Gent.* cap. 12. exceptione omni majoribus rationibus destructi, revivisceret quasi postliminii jure. Nunquam tale quid nobis in mentem venit, quippe quo posito, nimium deturparemus, foedaremusque augustam illam, ac sublimem regii imperii potestatem, quæ quantumvis forte plena, nullisque L.L. humanis a populo initio suscepiti imperii vallata sit, tamen ipsis divinis conatus satis est aduersus grassandi in facultates subditorum licentiam munita. Sed ferram contentionis saltem ducimus de eo facto Regis, quando intra terminos publicæ felicitatis conservandæ subsistit, & privatis hac contemplatione jus in res suas competens aufert, an & talis conatus vi imperii, vel quod idem est, plenitudinis potestatis suscipi possit? id quod tuto citra prædictum commentum alicujus dominii eminentis adfirmari posse, persuasum teneamus. Ut enim prætervehamur silentio, cessante illa necessitate communi, latifundia erepta cum omni causa esse restituenda, vel si id fieri nequeat, tantudem, quod morali æstimatione est idem, in ejus locum surrogari, sicuti hanc viam *Pac. Westph.* conditores sunt ingressi, Brandenburgico Novemviro in art. II. varias ditiones, ob Suecis cessum jus in Pomeraniam dudu ipsi quæsum, redhostimenti instar tradendo: præcipue id urgemos, utut civis imperii qualem qualem experiatur calamitatem ejusmodi ablatione, re tamen penitus inspecta, non nisi

C

majus

majus malum privatum eum hac jactura levi redimere, & vitam, libertatem civilem, & personalem, rem auro pretiosiorem, eo ipso in tuto collocare. Sapiens autem in bivio positus, non tam quodante pedes est inspicit, sed & in futurum prospicit, & seposita v.g. tempestate maller, omnes res suas tutari, sed eadem ingruente abjicit quasdam minus pretiosas, ut pretiosiores retineat, vel etiam membrum carcinomatice infectum resecat, ne pars sincera trahatur, quantumvis aliam rerum suarum præoptasset faciem, quæ ad hæctentanda extrema ipsum non compulisset. Sic ex comparatione majoris & minoris mali, vel hic est capiendum consilium, atque pro re nata adhibenda medela, acerba & amara quidem, simul tamen cum bono extraordinario conjuncta,

## §. XIII.

Quotquot itaque huic prædictioni Samuelis inesse iniquitatem, & secus sentientes Machiavelli principem instruere velle censem, videntur paralogismum committere, & a dicto secundum quid ad dictum simpliciter argumentando, affingere dicto voluntatis divinæ interpretationem, quasi simplificiter aliorum possessiones, inter suos officiales regnique fideles partiri, illudque sic volo sic jubeo, insuccum & sanguinem vertere queat, tum enim procul dubio hæc doctrina foret ilex mali, & cum potestate vicaria Dei, non magis, quam *Grecorum ostracismus* posset consistere ac conciliari. Sed & hic nihil aliud determinatum est, quam quod cæteris paribus, & in prædictis thesibus adductis terminis habi-

*Ultior  
demonstra-  
rio, ejusmo-  
di ablato-  
nes resurso-  
ad subditos  
spellantū,  
durās qui-  
dem esse,  
neutrignam  
iniquas,  
ant Ma-  
chiavelli-  
sticas artes  
redolere.*

habilibus, demum adipicari, procedereque queat,  
 neque ad regulam, sed ad exceptionem pertinet;  
 non magis quam quando docemur, in bello pio &  
 justo dari jus eripiendi res amicis, id ipsum in uni-  
 versum erit licitum pronuntiandum. Procul enim  
 dubio hostis ideo involare in pacatum locum ne-  
 quit, quod illo forte indigeat ad meliorem suæ re-  
 gionis defensionem, neque etiam prætensa illa *raison de guerre*, populationes, excursiones, hospitationes  
 ac occupationes ideo suscepitas, reddere licitas vale-  
 bit, ne jus ex mera injuria oriatur; interim nihil ve-  
 tat, quo minus in territorio meo deprehensas alienas  
 merces, bonaque intercipiam, in expeditionis partes  
 vocem, atque finito illo periculo & extrema necessi-  
 tate, vel eandem pacati & medii rem amico, cum eo,  
 quod interest, restituam, vel si id fieri nequeat, illud  
 quod est morali æstimatione idem. Quidni itaque  
 idem usu veniret in bonis eorum, qui mutua conspi-  
 ratione, ac consensione omnibus viribus se salutem  
 publicam esse tutatos, vel expresse vel tacite polli-  
 citi fuere? Conditione autem hac sine qua non, evi-  
 denter & manifeste cessante, omnis etiam corruuit,  
 juris in bona subditorum applicatio, uti si quis ut  
*Caligula* Imperator, pretiosissimas margaritas aceto  
 liquefactas sorbere, calidis frigidisque unguentis  
 lavari, convivis ex auro panes & obsonia adponere  
 cœpisset, & hisce similibusque luxuriæ instrumentis  
 exhausto ærario succurrere veller, ad rapinas civi-  
 umque spolia convertendo animum, talis quam ma-  
 xime abuteretur hac doctrina, ex morbidi autem &

C 2

distorti

distorti ingenii hominum factis, nunquam est me-  
tienda regula naturæ.

## §. XIV.

*Ad sagata  
& togata  
officia be-  
nemeritos  
evehere, ju-  
stum ac glo-  
riosum.  
Principis  
factum  
prædica-  
turi, eumq;  
solum esse  
fontem  
dignitatis  
externa fir-  
matur ar-  
gumentis.*

Tandem censemus, tantum abesse, ut ty-  
rannidem involvat, si quis princeps subditos ad  
publica trahat officia, ut nihil magis principis cha-  
ractere dignum esse videatur, quam bene de Re-  
publica meritos honore ac insigni dignitate maestra-  
re, malis vero hominibus eandem purgare. Sic  
quippe suo quamque rem æstimat pretio: Sic etiam  
proportionem inter meritum virtutem & præ-  
mium ejusdem, externa nempe insignia, servando,  
sua quam maxime consulit arti rectoriae. Quo no-  
mine collaudatur *Tiberius Imperator*, quod non aliis  
mandaverit honores, quam si constiterit, alios non  
esse digniores, ideinque inter præcipuos modos,  
quibus *Elisabetha*, sapientis Angliae Regina, sua gentis  
felicitatem civilem est tuta, referunt annales. Ut  
ut enim sua cuique virtus sit pulcherrima merces,  
atque esse debeat, judicium tamen publicum civita-  
tis vel ejus rectoris accedere debet, ut constet, quanti  
quisque valere in eadem debeat æstimarique, præ-  
fertim cum quisque sui ipsius nimis benignus ju-  
dex, plus justo extensus sit valorem suarum actio-  
num, & plerumq; Lydius lapis virtutis radicatae non  
detur, quid? quod ex quo fonte hæc vel illa actio sit  
suscepta, utrum ex infecto, an puro subnata, perscrutari  
satis nequeant mortales. Et improbum qui-  
dein aliquem esse, ut cognoscas, vel unus dies sufficit,  
at diu vixeris oportet, de cuius probitate certum

judi-



judicium fiat. Imo si semel privatorum foret hac in re judicium competens, procul dubio in diversa, ob naturalem ab invicem dissentendi pruritum, traherentur, & quem alter non nisi integrum vitæ, scelerisque purum prædicareret, alter ut bipedum nequissimum ad orcum damnaret, dirisque devoveret, prout quis aura populi valeret, vel non. Quocirca omnibus hisce malis providet princeps, feligendo optimum, cui vices suas in belli pacisque temporibus prudenter moderandis demandet. Utraque enim officia sagata & togata, sunt adeo ad consociationis civilis vinculum servandum necessaria, ut ferme cum *Coccejo* in peculiari oratione de hac materia habita, dubitemus, utrum magis armis an literis promoveatur salus publica, quin potius censemus, adeo fororio vinculo eadem esse copulata, ut divelli nequeant, & frustra sint foris arma, nisi sit consilium domi.

### §. XV.

Et utinam! æque raro in civitatibus contineret, dignitates ambitiose potentibus easdem conferri, quam raro fieri animadvertisimus, reliquantibus cervicibus illas imponi, omnis res foret in vado, quæ tamen tum, si multi sunt laurigeri, pauci phœbi, & insignia virtutis varii sine virtute consequuntur, non potest non labefactari. Quotusquisque enim, sive dignus sive indignus, non presensat aliquod munus, vel pretio numerato, ne tam fruges consumere, quam publica juvare commoda, ut idoneum societatis civilis membrum, natus videatur? Sane,

*Sacra &  
secularia  
munia vel  
pretio in-  
terveniente  
expetere,  
non abludit  
à rationi-  
bus nati-  
ra, licet cle-  
ricus jure  
civili debe-  
at esse ren-  
tens.*

fin

sin nulla est divinior, ac Deo proximior virtus, quam  
 prodesse plurimis: Sin etiam nulla via eandem  
 exercendi est facilior ac parator, quam si quis emi-  
 net, consideretque in Reipubl. nave, non tam in sentina  
 quam in puppi: nullo modo potest vituperari factum  
 eorum, qui sibi aditum ad honores meritos vel pecu-  
 nia interveniente student parare, neque etiam  
 princeps peccare videtur, amplectendo facilitatem  
 profusa liberalitate utentium. Quantumvis enim  
 quædam officia ita comparata censeant, ut non nisi  
 invitis & renitentibus debeant demandari, quemad-  
 modum ita Imperatores *Leo & Anthemius* in l. 31. C.  
*de Epist. & Cler.* edixere, non pretio, sed precibus or-  
 dinetur antistes, tantum ab ambitu debet esse sepositus,  
 ut queratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effu-  
 giat, sola illi suffragetur necessitas excusandi, natura  
 tamen non vetat, & illa venari, ac pro investitura,  
 collatione, similiue actu, quid exigere ac dare. Qui  
 enim secus pronuntiando, jus annatarum, pallii, con-  
 firmationum, simileque, Papa exercere posset, quibus  
 tamen etiam quoad protestantium religioni addi-  
 eos principes, dudum absterrere maculam iniquita-  
 tis *Strykius de jure papali principum Evangelicorum,*  
*& Ludewig de jure annatarum.* Non omne quod  
 audit paetio Simoniaca, statim est tale turpe crimen.  
 Sin enim munus a manu, munus a lingua, munus ab  
 obsequio, illuc statim pertineret, uti quidam canonistæ  
 somniant, quotusquisque clericorum ab illo foret  
 immunis? Dantur Bettelvocationes, Geldvoca-  
 tiones, Weibervocationes, quæ tamen vix Simoniæ, sed  
 sal-



saltem, si quid continent mali, ambitus delictū involvent. Cum itaque argumentis satis superque evinci possit, jus cōstituēndi rebus sacrīs vacaturos ministros, pertinere in Republica, nec bicipite, nec monstrōsa, eodem jure ad curam ipsius summi Imperantis, ut utriusque tabulæ custodis, quo idem sibi in profanis subordinatos magistratus cooptare poterit, atq; hac ex ratione cum ipsi Papæ Job. XIII. Bened. V. Leo VIII. Job. XIV. usque ad Gregorium VII. ab Impp. Germanis sint constituti, & Job XII. Benedict. V. Job. XIV. Bonif. VII. Job. XVII. sint pontificatu moti, de quo argumēto vide *Conringium de Constitut. Episcop. German.* in primis §. 41. 42. quid prohiberet? quo minus & ibi aliquid lucelli in fiscum referre possit suum princeps, præsertim cum fucus ac arcaña illa, quibus prætentum simoniæ crimen potest obtegi, ac ab iniquitate liberari secundum canonistarum effatum, ita sint comparata, ut non nisi risum mereantur apud omnes illos, qui nominis sono, ac externa rerum facie nolunt decipi, sed ipsius rei nucleus esse, scapharnque scapham adpellare norunt, qua de re vide *Mr. Morean de la Simonie, particulièrement des voiles, dont on le couvre aujourdbui.*

§. XVI.

Ex dictis autem licet ultro liqueat, illud inter iniqua Regis facta vix referri posse, ad quod obtinendum dies quis noctesque grassatur, omnibusque remis & velis ambit, tamen duriusculum, si non & plane tyrannicum esse videtur, fœminas in vilia ministeria coquarum, pedissequarum & reliqua munia

civi-

*Scriptorius,  
quod fami-  
na ob omni  
officio  
manereque  
publico sint  
excluden-  
da, eximi-*

tur, earum  
demque  
habilitas  
ad eundem  
munia belli  
ac pacis,  
rationibus  
& exemplis  
adstruitur.

civilia velle adlegere. Qui enim cum sexus sequioris fragilitate posset consistere, eundem ad subeunda militiae munera velle cogere? Qui posset conciliari cum infirmitate ingenii illi insiti? togatis muniis eundem admovere. Qui cum pudore illi quasi virtute propria, sordida promiscue munera talibus concredere viraginibus? quæ in illustri ac bene aucta parte erant positæ. Sed salva res est, terminis habilibus suppositis, quos eo redire putamus, ut ordinarium & extraordinarium Reipublicæ statum, merum principis beneplacitum & causam gravem, turpia & honesta, ab invicem distinguamus probe. Si enim in se justum est, & illis onus defendendæ Reipublicæ injungere, quæ summo bono civili, publica felicitate, omniumque rerum sufficientia, frui volunt, referendum erit ad prudentis principis arbitrium, determinare, utrum in viribus hujus vel filius sit positum, sua solertia, periculo ac iudore eandem stabilire. Est quippe experiundo compertum, & ipsas sceminas fortiter satis ac masculine semet gesisse in bello, & instar *Amazonum* manum cum hoste conseruisse. Hujus rei argumentum omni exceptione majus præbet virgo Lotharingica *Jobanna*, vulgo *pucelle d'Orleans* dicta, quippe quæ nulla arte magica, sed solis suis animi & corporis viribus effectit, ut res Gallorum adeo desperata, ut non nisi per ludibrium Regem eorum Angli cognominaverint, *Allii Regem*, in tantum fastigium excreverint, quo victoria circumferre longe lateque potuerint arma, vid. *Becman in H. O. T. pag. 511.* quidni itaque sexus fe-



sequior pro re nata impedimenta sequi, ibidemque coquendo, lavando, similiaque munia exequendo, rempublicam suæ regionis stabilire posset? Ast non moramur belli tempora, & id in confessu est, quod eadem fœminæ etiam prodeesse possint legationes obeundo. Tale quippe munus non soli *Ducissæ de Guebriant* (uti *Wicquefortius de Legatis*, eorumque functionibus i. sect. i. in f. perperam existimat) fuit concreditum, sed & alia Romanorum exempla habet *Tacitus Hist. l. 3. C 18.* & recentioris ævi *B. a Cocceji in diss. de Offic. & jur. Mediatorum pacis §. 15. 16.* suppeditat. Sic enim v.g. *Cameracensem pacem a 1529.* inter Imperatorem *Carolum V.* & Regem *Francijcum I.* initam, amita Cæsaris, & mater *Francisci*, conciliarunt. Taceo, quod & Regina pedissequis, officiisque muliebribus indigeat, quo & illa radiis mariti corruscans, suam dignitatem tueri, seque exhibere condigne queat. Uti itaque gloriosum est fœminis, talia subire munia: ita temere illud, *si libet licet*, quo *Julia Caracallam allocuta*, principi adscribere velle, foret abuti hac doctrina ad fœdos usus, ne quidem tali tempore, ubi quis pacem, temerataque jura reliquit, exercendos. Vel ibi enim, quicquid hostis in hostem tentat, est injustum, nisi ut medium necessarium ad ultimam victoriam ducat, quorsum promiscui concubitus, incestus, adulteria, nullo pertinent modo, sed potius ut actus efferatae libidinis, sunt, manentque omni J. N. & G. nec inter ipsa arma quiescente, prohibiti. Quam obrem factum Hispanorum, in castra Gallorum, obsidentium urbem.

D

Nea-

Neapolitanam, scorta lue vel peste infecta eum in finem emitentium, ut harum mulierum contagione perirent, a multis pro infami, & turpi habetur, atro- que notatur carbone. Multo magis itaque a justi & æqui rationibus abluderet, cum quis Rex talern fœ- dam libidinem pacis tempore cum suis subdiris exer- cere, sibique id ipsum jure regio licitum esse præten- deret. Quare vix sine horrore in Suetonii vita Ca- ligulae p.m.407. legi potest, quod non temere ulla il- lustriori fœmina abstinuerit, eandemque plerumque cum marito ad cœnam vocatam, præterque pedes suos transeuntem, diligenter ac lente, mercantium more consideraverit, etiam faciem manu allevans, si quæ pudore submitteret, & post quoties libuisset, venerem prohibitam cum eadem exercuerit, & quæ alia subsequuntur facinora, satis superque testantia, puerilem in modum sœviisse suum in populum, mon- strum illud Imperatoris, non vero intra terminos legitimii imperii mansisse. Quid? quod David adulterium cum Bathseba commissum, adeo disipli- cuerit Deo, ut severam satis poenam ideo dictitave- rit, magnoque cum cordolio experiri debuerit idem, a filio Absalom concubinas suas publice prostitui. Utut hic enim peccaverit, incestum committendo, neque adulterium commissum retaliari adulterio, aliasque vetitus concubitus alii delicto facere locum debeat, tamen David tantundem mali, vir- dice Deo non injuste est passus, & ipse Absalom sua- rum perversarum cupiditatum exsatiatarum luit- meritam poenam, dum non multo post malo periit, letho,



letho, certo indicio, non eosque jus regium se exten-  
dere, a *Samuele* delineatum.

§. XVII.

Restat itaque, ut dispiciamus, utrum etiam one-  
ra ordinaria, extraordinaria, collectas, decimas, simi-  
lesve præstations, Reges sibi subjectis salva justitia  
injungere queant, quibus ad ornamenta pacis, belli-  
que subsidia, ad urbium, fluminum, ac littorum de-  
fensionem, templorumque exstructionem indigent.  
Id quod sine hæsitatione affirmamus. Ex vero  
quippe tradit *Tacitus* 4. *Hist. C.4.* neque quies gen-  
tium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque  
stipendia sine tributis haberi possunt. Cum itaque  
saluti & necessitatibus suorum civium aliter consulere  
non possit Rex, collectæ in regularibus, non limitatis  
Rebus publ. pertinent ad eundem, ab illo remittun-  
tur, pro arbitrio quoque rationibus nemini reddendi  
dispensantur. Id quippe pro certo adsumimus,  
Principem non gratis, sed ejus sumtibus, cuius est  
negotium, regni salutem curare, seque exhibere con-  
digno modo debere. Quale enim jus in operas  
Principis sibi arrogare possent cives subjecti? Utrum  
vero censem eum in finem personis subditorum, an  
rebus exportandis vel importandis, ad amictum vel  
victum spectantibus imposuerit, non magis, quando  
de jure certatur, refert, quam disquisitio utrum o-  
nus, quod transitu innoxio usuris incumbit, appelles,  
*Accise, Umbgeld/Niederlage/ Stand- und Marchtrecht/ Pfosten, Brücke- und Weg-Kauff-Hausrenten/ Pfias-ster/ Steinführern/Cento-Gelder/Multersteuer.* Omne  
quippe

D 2

*Jus col-  
lectandi  
Subditos  
Principi  
adscribi-  
tur, varii-  
que modi  
onerum re-  
censentur.*

quippe illud non ad gentium justitiam, quippe quæ postulat, ut reditus ad defensionem reipublicæ suppeditentur, referri debet, sed ad cujusque populi singularēm dispositionem, & quitate subnixam, uti v. g. in R. I de an. 1576. §. 11. & an. 1542. §. 24. 25. statutum, das die Unterthanen höher nicht mit Steuer zu beladen/ als einer jeden Obrigkeit Herkommen sich erstrecket/ und recht ist/ daben die Arnen so viel möglich zu bedencken/ und mit übermaß nicht zu beschwehren. Quod si itaque pensitationem aliqualem subditus recusat, unde aerarium ad defensionem reipublicæ præcipue spectans, vel fiscus, seu reditus ejusmodi, qui ad decus Regum sustentandum pertinent, constitui queant, contra ordinem naturæ, ubi qui vult commodum protectionis, etiam incommodum diminutionis patrimonii velle intelligitur, agit, finemque sibi præscriptum adsequi destinat, & media necessaria tamen adsperratur, quæ sane sunt *ad legem*, & repugnantia. Ipse Deus in sua Theocracia censum sacrum populo imposuit. Exod. 30. v. 12. Ipse etiam Christus non solum capitulationis censem ideo exsolvi justit Marc. 12. v. 16. 17. sed & laudabili suo præivit exemplo Matth. 17. v. 27. quod uti in cæteris, ita & in hoc presso pede sequendum, dicendumque: Date cæsari quæ sunt cæsaris. Absit tamen eosque hanc facultatem principis extendisse, ut lucri bonum odorem ex re qualibet esse censeamus, potius vegetal lactis, inter exactiones illicitas referimus, arbitramurque, præstissime in recensu habito an. 1552. Romæ deprehensa 24000 capita meretricum, e fini-

finibus regionis expulisse, quam menstruum inde censem in paparum ærarium intulisse. Sed ita vi- sum est in succum & sanguinem vertere illud: ô ci- ves, cives, quærenda pecunia primum est, virtus post nummos, & aureo illi, non sunt facienda ma- la, ut inde eveniant bona, dare repudium, *conf. Missio- nis itinerarium Italiae T.2. p.151.*

### §. XVIII.

Cum etiam Deus in sua Theocratia decimas jure regio sibi vindicaverit, cleroque ex peculiari ratione, ne rei agrariae & pecuariae adfuerit, a sacris, adeoque ab unico illo necessario distraherentur, tri- buerit, unicuvis praेजudicio vacuo ultro liquebit, decimas percipiendi jus Regi hodiendum posse ad- scribi, quo easdem in servorum, eunuchorum, cæ- terorumque sagatæ, sacratæ, & togatæ militiae mili- tum sustentationem, possit elargiri, ac ita splendorem suum, insigniaque Reipublicæ ubivis ostentare queat. Ut ut itaque Concilium Lateranense an. 1179. habitum Canon. 9. edixerit: *Ecclesiæ sane decimas de manu Laicorum sine consensu Episcoporum, tam illos, quam quoscumque alios religiosos, recipere prohibemus, dimissis etiam, quas contra tenorem istum mo- derno tempore receperunt.* Id tamen non verēmur meris commentis jurisprudentiæ papizantis accen- sere. Et cur non accenseremus? Evicimus etenim supra § 15. jus principi esse quæsumus in dubio, con- & destituendi suos ministros, quibus ut custos utrius- que tabulæ indiget, ad felicitatis civilis munimenta convalidanda, utrum autem servet modum, teste,

*Jus deci-  
mandi in-  
ter regalia  
refertur, &  
prajudicis  
juris cano-  
nici, quasi  
decima spi-  
rituale ali-  
quod, cleri-  
cisque pro-  
prium jus  
involvant,  
accenseretur.*

Leb-

*Lehmanno in Chron. Spir. 2. cap. 17.* in Germania, quondam usitatum, vi cuius Comitibus, utpote officialibus regni, dabantur certæ terræ, sonderbare Güter an Wältern/Aekern und Wässern/ und dazu gehörige Gerechtigkeiten in sustentationem dignitatis ac familiæ, an vero decimas, collectas in pecunia numerata consistentes, illuc impendat, nihil videtur quoad jus interesse. Non enim attinet in præsens cum Seldeno in historiam decimarum excurrere, videisque, quænam *ante legem*, quænam *ex lege*, & quænam *Ethnicorum* fuerunt, sed id saltem negotii nobis datum esse putamus, ut ostendamus, Episcopos, Presbyteros, Diaconosque in locum & jus veteris sacerdotii non esse subrogatos, atque ita quemlibet parochum, instar Levitarum, non habere, seposita lege positiva, fundatam in parochia sua intentionem, exigendi decimas. Qui enim illud, quod particulare fuit in judaica Republ. & ideo Clericis concessum, quod in divisione terrarum Palæstinæ partem non fecerint, posset ad alias gentes applicari, ubi non actum est de terra occupata, æquis partibus dividenda, ibidemque quali quali servanda proportione, sed de compensandis saltem laboribus eorum, qui inserviunt publico, leges judaicæ forenses omnes uti sunt dudum cum politia judaica obliteratae & extinctæ, ita & hæc de decimis non potest hodie num dici obligatoria. Recte itaque *Carolus Magnus* decimam mensæ regiae reservavit : Recte inter regalia a *Samuele* refertur : Recte canon metallicus, continens decimas metallorum, tribuitur in jure Ci-

Civili principi. Licet enim hic a *Gratiano, Valentino, & Theodorico* an. 382. eo tempore, quo decimæ non adeo frequentabantur, fuerit in l. 3. de metallis XI. præscriptus, tamen fons unde hic exsurrexit, & unde cæteræ decimæ fructuum enascuntur, semper est idem, potestas nempe principis collectandi subditos, quo sibi ac administris suis sit bene. Vel hic enim applicari principium *Gribneri*, peculiari dissertatione stabilitum, jura regalia usu intermissio non perire, licebit. Neque enim fundamentum ac limitem omnium regalium metimus ex 2do feud. 56. ibidemque omissa in hanc classem compingi non posse putamus, sed potius dubitationis, quæ tempore Friderici, hac de re exoriebatur, tollendæ gratia esse istam constitutionem promulgatam, & sic ad consequentiam illam trahi non posse, persuasum tenemus. Accedit quod & extraordinariæ collationis, ad felicissimam Regalis Numinis expeditionem potestatisque constituendorum magistratum ad justitiam expediendam, fiat mentio, unde confit cum felicissima regalis Numinis expeditione probe conciliari posse, si decimas hunc in finem extorqueat, injungatque suis.

### §. XIX.

Atque ita telam hanc pertexere annuente Numinе divino cœpimus, cui labori dudum ab aliis suscepimus, si quis omnem fructum vellet admovere, nihil aliud haberemus quod præcipue reponere possemus, quam illud *Plinii*, quod in *præf. hist. natural.* memoriarum prodidit: res ardua vetustis novitatem

*Epilogus,*  
quo modo  
debet ini-  
quam no-  
strorum  
conatum  
deprecari  
mur censu-  
dare, ram.

dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris  
 lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero  
 naturam, & naturae sue omnia, itaque etiam non  
 adsequitis voluisse abunde pulchrum atque magnifi-  
 cum est. Si vero indecora saltem scomitata vibrando,  
 ingenium suum non commendare, sed prodere  
 destinet, generoso contemtu ac silentio vindicabim-  
 us ejusmodi petulantiam, facile passuri, suo quem-  
 que tumere sensu, suo insolescere judicio. Quid e-  
 nim, eleganter querit B. a Coccoji, in illo carpendi &  
 contradicendi æstu, vel laudis, vel artis est, nedum  
 quid eximii, cuius & stupidissimo cuique facultas est,  
 & pessimo lubido? Si vero, uti inter bonos bene-  
 agier oportet, nos modelte alicuius erroris insirmu-  
 laverit, non promptius nos errantes monebit, quam  
 monentem, sumus secuturi. Nihil enim ultra proba-  
 bile profitemur. Deus, cuius sacro sancta voluntas est  
 unicum justitiae universalis fundamentum, ducat  
 nos porro in hac veritatis via, quo suum Regi & gregi  
 tribuere, ulterius discamus, atque ita nunquam aber-  
 remus a vera felicitate, quæ unicus est omni-  
 um nostrarum actionum.

*F I N I S.*

#### ADDITIONES.

**I.** *L*icer Clemens XI. Papa Romanus, in quadam oratione con-  
 sistoriali, collaudaverit Ludovicum XIV. Regem Galliæ,  
 quod omnis prudentia humanerationibus penitus neglectis, edicta  
 illa prorsus abrogaverit, que, (ut studio partis abrepitus, ignomi-  
 nioso loquitur) perduelles, heretici, ab ipsius majoribus Regibus,  
 inter bellorum aestus, ac pericula dudum extorsissent, justitia tamen

gen-

gentium aliud nos docet, ut cuius hoc facinus inter iniquitatis ac perfidia plena, debet referri. Signidem ejusmodi pactiones juratae, quantumvis vi ac metu imperantibus a subditis forent extortae, subsistunt, & affectatum in conscientias dominium in tyrannidem degenerat.

2. Cum eadem persona diverso respectu considerata, caput esse possit plurimum, ac distinctorum corporum moralium, sequitur inde, Cosarem aliis iuribus ut Regem Germanie, aliis ut Comitem Tyrolensem, aliis ut Canonicum Aquisgranensem, frui, quare relatione in hoc, similique casu, seposita, totius Reipubl. compages labefactaretur.

3. Si privilegia gratiofa possint instar precatarit, ab ipso concedente revocari, multo magis ab ejus successore, quantumvis universali, poterunt, an vero possint inter distinxandum exponetur?

4. Omni jure licet per procuratorem jurare,

5. Cum jus victoria sit diversum a jure belli, pronuntiamus eadem

Conradini nefarium.

6. Princeps subditos alienos adversus tyrannidem sui imperantis defendere quovis modo potest, & si ut sponsor, seu Guaranteur, corundens protectionem in se receperit, etiam tenetur.

7. Exheredatus nec auget nec minuit legitimam ceterorum.

8. Sicuti orationem artem, non veritatem sapere videtur, quando Cicero IV. Tuscul. Quæst. C. 24. inquit: licet insectemur stoicos, ut Carneades solebat, metu tamen, ne solum sint philosophi: ita varia Jctorum Romanorum placita, ex horum hortulis depropria, vix cum sobria Philosophia possint conciliari, v. g. quod temporali saltu relegatione ab actionem partus puniverint; infants expositionem extra reatum esse supposuerint: autocheiriam non adeo damnaverint: eum, qui cum telo hominis occidendi gratia ambulaverit, pena. L. Corn. de

Scariis statim dignum judicaverint, & anxiam nimis curam, in verborum significationibus enucleandis, adhibuerint.

9. Si Romanis saluberrimum monitum Modestini in l. 7 §. 3. ad L. Jul. Maj. exparservasset, ac crimen lae Majestatis non in occasione scvitiae, sed in veritate habuissent, non illuc retruisserent, quando quis ligulas solvisset, nec de loculis deposuisset prius numeros, principis effigie signatos, vel quando latrinam, aut lupanar

ingressus, nummum, annulumve Principis imagine coruscantes, secum gestasset, vel quando hoc ornatum matellam adprehendere ceperet, vel etiam quando juxta statuam Caesaris vestem mutasset: Sed rebus ita se habentibus, Plinius recte dixit, locupletasse fiscum, non Voconias & Julias Leges, sed Majestatis singulare & unius Crimen eorum, qui Crimine vacarent.

10. Nulla pena est jure divino universaliter definita, solo homicidio excepto.

11. Ultor in territorio Lippiaco unus sit Comes Regens, ceteri vero Comites, in classem Apanagatorum, ces quidam Viri Clarissimi stantur, compingendi sunt, in Cathedra dicemus.

12. Pecunia lustrica pertinet ad peculium profectitum.

13. Injuste occidens non tenetur occisi reliquam uxorem, liberosq; alere.

14. Lectio non inspectis tabulis testamenti transfigere.

15. Pisani omnino domum ex expeditione Amalfitanam sub Lothario Saxone suscepit retulerunt, ut pradam opimam, exemplar. ff.  
non authenticum.

\* \* \*

**R**egia dum scite propugnas tempore jura  
Et belli & pacis; gratulor ex animo.  
Sed bellent alii, servis KRIGERE Minervæ,  
Sic quæ Mars aliis, dat Tibi dona Themis.

Hisce præstantissimo Dno Respondenti,  
Auditori suo indefesso, de primis  
academicis publice extantibus  
gratulari, ac ulteriores invidendos  
progressus sic satis bonis auspiciis  
cepti studiorum curriculi adpre-  
cari voluit

PRÆSES.

Dum justae Themi discedam concendi, acumen  
 Ingenii monstras Frater amice tui.  
 Perge bonis avibus, sic Te diadema cinget  
 Pallas, dein poteris præmia ferre satis.  
 Vive diu sanus per plurima tempora canus,  
 In Te leta ruant, plurima faust a fluant.  
 Nunc Te fœcundent Superi, vel vota secundent,  
 Totque exoptatis nunc cecinisse satis.

F. W. P. de UNGER, J. S.

Mein Freund/ es trifft bey dir jetzt That u. Name ein/  
 Dann du erzeugest dich als ein beherzter Krieger/  
 Der in dem Bucher-Feld nicht lang kan müstig seyn/  
 Heut aber wirstu gar ein Ruhm-bekrönter Sieger!  
 Und weisest öffentlich/ was vor dein stiller Fleiss/  
 Der unermüdet ist/ zusammen hat getragen:  
 Ein Krieger/welcher strebt nach Ehrn/Lob u. Preis/  
 Muß auch ins offne Feld/ und an den Feind sich wagen/  
 So wie du heut gethan: du weisest Meisterlich/  
 Gelehrt/ und vortheilhaft dein Pulsfer zu verschiesßen/  
 Daher der stolze Feind schon aus dem Felde wich/  
 Noch ehe und bevor es kam zum Blutvergessen.  
 Ich wünsche dann/ mein Freund! daß/ wie der erste  
 Krieg  
 Zu deinem Lobe ist/ und Ehren ausgeschlagen/  
 Also die künftige Zeit noch manchen schönen Sieg/  
 Und dir so viele Frucht/ als Blüthe möge tragen.

J. H. KRECKE, Stud. Jur.

**M**ilitiae pulchrum genus eligis: inque Cathedra  
 Stans acie MILES victor abire paras.  
 Leges arma inter Muliæque silere putantur,  
 KRIGER IUS leges pectori & arma gerit.  
 Num Römæ fuerit lex regia \* dicere nolo:  
 Iudicium legem pagina docta refert.  
 Quam Samuel posuit lex regia \*\* floret ubique,  
 Sed lex Iacobi regia \*\*\* ubique silet.

\* Vid. ex multis I. C. Becciani diff. de leg. reg.

\*\* 1. Sam. VIII. 11. seqq.

\*\*\* Iac. II. 8. Legi meretur Hedingerus ad h. l.

### CONR. FRID. ERN. BIERLING.

**E**s ist doch anders nicht! es folget Lob und Ehre/  
 Auf steten Bücher-Fleiß. Dies sieht man auch  
 anjetzt  
 An dir/ mein werther Freund/ da du uns deine Lehre  
 Vom Recht der Könige/ so deutlich vorgesetzt.  
 Du streit' st vor deren Ehr/ und thust was dir gebühret/  
 Dass müssen Krieger thun. Doch was die Krieges-  
 Kunst/  
 Dem/der sie recht versteht/ zur Beut und Lohn zuführet.  
 Fehlt dir doreinst auch nicht: der Fürsten Huld und  
 Gunst.  
 So wünsch ich dir dann Glück/ und freue mich zu sehen/  
 Die Früchte die dein Fleiß/ nach langer Blüte trägt.  
 Drum Fama mach dich auf/u. bleib nicht müßig stehen.  
 Zeig wie der Jahre Gold/ hier weislich angelegt.

F. H. WOESTMANN, LL. Stud.



Vir Perillustris ac Excellentissime,  
Mecænas omni observantia colende,

**E**a est humanæ naturæ conditio, ut quam  
maxime illo delectetur, quod sensus in primis titillat, & ad-  
ficit, quicquid vero istis non adeo blanditur, temere sper-  
nat, fastidiatque. Quam vivide enim rebus, quas ab aliis videmus  
præclare geri, movemur! Quam amica vi, quasi torrente, abri-  
pimur ad imitandum! Quam beatos nos existimamus, quoties  
antecedentium gregem sequendo, sumimus ex exemplis eorum,  
instar olim dictorum ex tripode, nobis quod excusum est. Nihil ejus-  
modi etiam a me, quam primum animum ad conscribendam pre-  
sentem Dissertationem adpellebam, fuisse alienum, ingenue fa-  
teor. Non enim meritis abstractionibus ac mentis præcisionibus  
in arte bac regia levi delineanda penicillo acquiescebam, sed cu-  
rare prius circumspiciebam aliquod vivum exemplar, hanc justi  
& æqui mensuram omnibus numeris adimplens. Et nulla, ut  
præfiscine dicam, mibi occurrebat luculentior imago, TUA, VIR  
PERILLISTRIS, quam annales patrii ad vivum expressam,  
dudum consecrarunt æternitati. EXCELLENTIA enim  
TUA, ut depositaria ac fidelis executrix legis regiae tribuit CÆ-  
SARI, quæ sunt Cæsar is reservata, & CELSISSIMO COMITI  
REGENTI LIPPIACO, quæ sunt superioritatis territorialis  
effecta, eoque omnes ingenii sui intendit nervos, ut universis ac  
unicuivis sit bene. Liceat itaque mihi, precor demisse, hanc quasi  
tabellam perillustri Nomini tuo suspendere sacram, ut omnes boni  
cives

cives in ea tanquam in speculo contueantur, quale sit officium eorum, quos summum Numen in tam excelsum evexit locum, & quam laudabile sit, sororio quasi vinculo conjungere celsitudinem Regentis, & Patriæ salutem. Evidem mortales primam partem felicitatis putant benefacere, alteram bene audire, ideoque in amplissimum EXCELLENTIÆ TUÆ laudum campum excurrere, ibique exultare forte jam deberem. Verum cum nemo & me expectare queat mellitos verborum globulos, aut dicta sesamo ac papavere sparsa, malo EXCELLENTIÆ TUÆ singularem prorsus humanitatem, profundam eruditionem, ac subactam rerum gerendarum peritiam, denique eximiam in Musas propensionem, quibus dandum commeruit eognomen instrumenti saeculi boni, religioso prosequi silentio, quam meis jejunis obfuscare dictis. Nihil itaque superesse videtur, quam ut in voto precibusque, properenni felicitate EXCELLENTIÆ TUÆ nunquam non nuncupandis desinam, quo EADEM salva res publica ac privatæ totius mei natalis soli efflorescant, ac in tutu porro collocentur, id quod quidem uno ore ac corde omnes exoptant cives boni, praesertim vero

Vir Perillustris ac Excellentissime,  
Mecænas omni observantia colende,  
Excellentiae Tuæ

Scribebam Rint. d. 13.  
Mart. 1725.

cliens devotus

HENR. GUIL. KRIGER.

Rinteln, Diss., 1722-35  
X 241 87 69





May 1097  
5  
1725, 1.

# VINDICIAE JURIS REGII

i. Sam. VIII.  
**EXPOSITI,**  
Quas  
IN ALMA ERNESTINA  
*Auspice Numine Divino*  
PRÆSIDE  
**IDERICO ULRICO PESTEL,**  
J. U. D. Ejusdemque & Moralium Prof. Ordin.  
IN AUDITORIO MAJORI  
Die 17. Martii 1725.  
Placido Eruditorum examini submittit  
AUCTOR & RESPONDENS  
**NRICUS GUILIELMUS KRIGER,**  
Barrentruppia-Lippiacus.

RINTELII,  
YPIS JOHANNIS GODOFREDI ENAX,  
Acad. Typogr.

